



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Anselmvs Episcopvs. 21. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

410] 285. [098
poterimus, perfectissimè: cautè ac prudenter utamur tempore vitæ nostræ, cum tam citò fluat. Citò transeunt dies nostri, utinam bene transeant. *Caesar.*

S. ANSELMVS
EPISCOPVS.

21. Aprilis.

Qui facit peccatū, servus est peccati.
Joannis 8.

FAcilè mundum despicit, quisquis æquis oculis aspicit. Testis luculentus ANSELMUS est. Vidit hic (nebulam ab oculis DEO remouente) quem nos mundum dicimus, immundum, quâ patet, paludem esse, coeni omnis ac sordium colluuiem: In hac volitari miseros homunculos; hinc delicias suas haurire delicatulos; hinc gemmas quarere avaros; hinc triumphare ambitiosos. Miratus ANSELMUS posse tam sordidâ lacunâ pisces gaudere tam nobiles, oculos ad religiosorum septa transtulit, & ædes sibi videre visus est regio opere structas & omnibus delictis affluentes. Has itaque ingressus, ex Monachis Coenobiarcha, ex Coenobiarcha Pontifex Cantuariæ, mortuus memoratur
anno

anno MCIX. vir, qui è minimis quibusq; rebus maxima dare documenta scivit. Nam, ut alia silentio prætermittam, cùm lepusculum sub equum suum fugientem à canibus undiq; cingi conspexisset, eam morientis conditionem esse exclamavit ab atris geniis obsessi. Jam puerum conspicatus cum aviculâ lusitanti filo alligatâ, peccantis hominis typum esse dixit, qui libertate sua spoliatus ad arbitrium stygii aucupis viveret. Itaque, qui jam nos circumspicimus, si ANSELMO credimus, male dæmonis ludus, lepusculi, aviculæ captivi sumus. Nec tamen stulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus: quin quod omnem stultitiam exsuperat, cantitate etiam in tantis miseriis juvat. *Ex Edinero.*

MEDITATIO

De peccato Mortali & per illud servitute Dæmonis.

1. **S.** Anselmus in lepusculo fugiente, ac canibus, & aviculâ haqueo retentâ à puero, peccatoris, Dæmonis mancipij, miseriam contemplatus est. Qui peccato servit, quot immoderatos affectus, tot Tyrannos habet: *Venit libido, & dicit, meus es tu; veniunt omnia vitia, & dicunt, meus es tu; quam tanti comperunt, quàm vile mancipium est!* Ambr. 2

2. Verè liber est, qui servit, & obedit Deo; etenim unum duntaxat habet æquissimum, & facilissimum Dominum, cujus mandata & rationi maxime consentanea sunt, & nobis utilissima. Voluntarium hoc, & rationabile obsequium, quod Deo præstamus, nos liberat à turpissimâ & sævissimâ Tyrannide Dæmonis, libidinis, peccati. Ah! si libertas maximum est honorum omnium; cui, Domine, potiori jure meam ego devoverem, quàm tibi, qui mihi eam dedisti? *Deo parere, libertas est.*

3. Ut perfectâ & integrâ libertate in hoc mundo gaudeas, num Deum & timere, & amare debes. Omnia supplicia, afflictiones omnes, omnes mundi deliciae, opes, vanitates non poterunt vel ad minimum peccatum te impellere, si unum timueris, & amaveris Deum. Quot anxietatibus liberareris? si animo tuo aliùs inhæreret. nihil amandum esse, præter Deum, nihil timendum, præter Deum.

S. THEODORVS CONFESS:

22. Aprilis.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum. Luc. 14.

THEODORUM sexennem mater ad omnem licentiam informabat, cum S. Georgius,

ne